

et tantas. Quid est enim memoria rerum et verborum? quid porro inventio? Profecto id, quo nec in deo quidquam majus intelligi potest. Non enim ambrosia deos, aut nectare, aut juventate pocula ministrante, lætari arbitror; nec Homerum audio, qui Ganymedem a diis raptum ait propter formam, ut Jovi bibere ministraret. Non justa causa, cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, et humana ad deos transferebat; divina mallet ad nos. Quæ autem divina? vigere, sapere, invenire, meminisse. Ergo animus, ut ego dico, divinus, ut Euripides audet dicere, deus est; et quidem si deus, aut anima, aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura coelestis et terra vacat, et humore: sic utriusque harum rerum humanus animus est expers. Sin autem est quinta quædam natura, ab Aristotele inducta primum: hæc et deorum est, et animorum.

*Ad Herenn III. 16.—24.* Nunc ad thesaurum inventorum, atque ad omnium partium rhetoricae custodem memoriam transeamus. Memoria utrum habeat quidquam artificii, an omnis a natura proficiscatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur. Nunc perinde atque constet in hac re multum valere artem et praeceptionem, ita ea de re loquemur. Placet enim nobis esse artificium memoriæ: quare placeat, alias ostendemus; in praesentia, cujusmodi ea sit, aperiemus. Sunt igitur duæ memoriae: una naturalis, altera artificiosa. Naturalis est ea, quae nostris animis insita est, et simul cum cogitatione nata: artificiosa est ea, quam confirmat inductio quaedam et ratio praeceptionis. Sed quia in ceteris rebus ingenii bonitas imitatur saepe doctrinam, ars porro naturae commoda confirmat et auget: ita fit in hac re, ut nonnunquam naturalis memoria, si cui data est egregia, similis sit huic artificiosae. Porro hæc artificiosa naturae commoda retinet, et amplificat ratione doctrinae. Quapropter et naturalis memoria praeceptione confirmanda est, ut sit egregia; et hæc, quae doctrina datur, indiget ingenii. Nec hoc magis